



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 223. Vsque ad horam nonam. v. 45.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

peccatorum immemor, etiam tua in me beneficia non agnoscam & gratiam, sed & iugiter pro ijs gratias tibi referā, ne vincar & accuset à creaturis insensibilibus in die iudicij.

§. 223. *Vsque ad horam nonam. v. 45.*

Eclipsis illa portentosa & tenebræ extenderunt se per totum mundum à sexta apud Hierosolymam horā, vsque ad horam nonam ibidem. hoc est more Latinorum loquendo à meridie usque ad horam tertiam pomeridianam omnino tres horas, vt sicut toti mundo notificaretur non esse Eclipsin naturalem quæ tam diu duraret & quidem in plenilunij tempore accideret, quo Luna non solet solem obscurare, sed ab inuicem longissime distare iuxta naturalem cæli cursum ideo, vt cognosceret mundus tantas tenebras non esse naturales, sed diuinitus factas vel in comminationem vel in maximi prodigij significationem ad tres horas durarunt. vnde S. Dionysius Areopagita Astrologus maximus in Ægypto existens visis his tenebris exclamasse fertur: *aut Deus natura patitur aut mundus subuertetur*, cognoscens scilicet hanc Eclipsin esse præter naturæ cursum Solis & Lunæ.

**D**omine Deus vera lux, æterna salus, video quod hic extēderis brachia cum Moysē, & ecce tenebræ densissimæ, & tamen manet obduratum cor hominum cum Pharaone, te amat magis tenebras quam lucem, mundanas voluptatis, quam cæli delicias. Emolli obsecro cor meum & illumina vt cognoscat peccata sua & desinat, vt respuat mundi tenebras & te lucem exquirat, ne moriar in tenebris, sed viuam in lumine tuo.

§. 224. *Et circa horam nonam exclamauit Iesus voce magna. v. 46.*

Circa horam nonam, qua Christus, agnus noster paschalis, reddere Deo animam & emori volebat pro redimendis nobis, exclamauit voce magna vt omnes in tenebris audirent & intelligerent vltima quasi testamenti sui verba, quomodo nimirum homo Sanctus ad Spiritum suum Deo reddendum sese debeat disponere, nimirum toto corde & anima refugium sumere ad Deum suum qui se creauit, constanti fide, firma spe, ardenti caritate & pænitentia, hoc est enim loqui cum Deo clamore valido, & voce magna, seruide, attente, serio cum eo agere, quemadmodum Christus hic, & idcirco docuit nos orationem sic inchoare: *Pater noster qui es in cælis*, quo videlicet admoueamur fortiter & serio orare, quia ad patrem quidem loquimur sed tamen existentem in cælis, hoc est ad patrem non naturalem, qualis erat Christi Pater: sed talem, qui ex mera gratia nos adoptauerit, & qui simul etiam esset Deus & iudex noster: quod Ecclesia quoque ad imitationem eius facit dum toties attollit clamorem in suis orationibus dicens:

*Domine*